

Band XI., Nr. 5286, Seite 250-251

*Amman, Rat und Bürgerschaft in Bopfingen beurkunden einen Verkauf von
Wiesen und Äckern an Kloster Kirchheim.*

Ohne Ortsangabe, 1299. Juni 10.

In nomine domini. Amen. Nos Waltherus minister in Bopfingen miles consules et communitas civium ibidem notum fieri volumus presentium inspectoribus universis quod Gotfridus dictus Zysze concivis noster in nostra presentia constitutus coadunata manu . . uxoris sue et filiorum suorum pratum quoddam situm in Unkental circiter duo iugera continens et agrum quendam tria iugera cum dimidio continentem ac pratum quoddam continens unum iuger sita in Mæisterstal venerabilibus et in Christo dilectis domine . . abbatisse et conventui de Kyrchein Cisterciensis ordinis Augustensis dyocesis pro XXIIII libris Hallensium, quas etiam receptas in usus suos utiles expendit, rite et rationabiliter vendidit atque vendit cum universis suis iuribus et pertinentiis perpetuo possidenda. Et quia dicte possessiones de manu domini . . abbatis ecclesie Elwacensis feudali titulo dependebant, idem Gotfridus se ad hoc astrinxit et firmiter obligavit ut, si infra carnisprivium non procuraverit aut ipse vel sui heredes apropietari bona prefata omnia a domino . . abbate Elwacensi domine abbatisse et conventui prelibatis datis eis super hoc firmis et validis instrumentis, extunc, quandocumque infra nativitatem domini et dictum terminum carnisprivii presentis anni prefatis . . domine . . abbatisse et conventui prenotatas XXIIII libras perceptas ab eis restituerit in pecunia numerata, bona seu possessiones universas prescriptas libere rehabebit. Elapso autem carnisprivio prenotato ad apropietandum predictis dominabus et earum monasterio possessiones omnes prescriptas erit simpliciter obligatus et extunc, si apropietare neglexerit aut nequiverit ipsa bona quemadmodum est predictum, quandocumque ab ipsis dominabus vel earum certo nuntio de hoc commonitus fuerit, ab ipso monitionis die infra VIII dies in civitate Bopfingen tam ipse Gotfridus quam Cûnradus suus privignus extra domos proprias in obstagio se recipient expensas in dampnum ipsorum proprium facturi tamdiu, donec apropietata plene fuerint bona seu possessiones prefate dominabus sepedictis a domino . . abbate Elwacensi secundum quod superius est expressum, datis eis scilicet firmis et validis instrumentis ipsius domini abbatis sui que conventus sigillorum munimine roboratis. Si vero apropietatione predicta nondum effectui mancipata alterum predictorum Gotfridum videlicet vel Cûnradum mori contigerit, alter superstes alium equipollentem sibi assumet expensas facturum modo simili, donec apropietatio memorata

II

secundum formam prescriptam plene fuerit expedita Gotfrido id ipsum vol
suis heredibus procurante. Et in horum omnium robur et evidens testimoni-
um presentem litteram ad petitionem Gotfridi prefati sigilli nostri munimine
roboratam dedimus domine . . abbatisse et conventui supradictis.

Datum et actum anno domini millesimo CC nonagesimo IX., IIII. idus Junii.

—

Textabdruck folgt dem Original.

Abhängend das Siegel der Stadt Bopfingen, s. WUB, Bd. IX, S. 435, Nr. 4086.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

Fürstlich Oettingen-Wallerstein'sches Archiv Harburg, Schloss

Signatur/Titel des Originals:

U I, 5106

Regesten:

Urkunden Oettingen, S. 69, Nr. 177.

Weitere Angaben

Beschreibstoff:

Pergament

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Ohne Ortsangabe

Aussteller:

Walter; Amman von Bopfingen Bopfingen; Rat Bopfingen; Bürgerschaft

Ortsindex:

Augsburg, A

Bopfingen Wohnplatz (4288)

Bopfingen, AA

Ellwangen (Jagst) Wohnplatz (4362)

Ellwangen (Jagst), AA

Kirchheim am Ries Wohnplatz (4622)

Kirchheim am Ries, AA

Meisterstall Wohnplatz (4299)

Meisterstall, Bopfingen, AA